Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31491
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">



Ad Ro. 1. Johan. 3

Capitl. iij Carissimi nunc filij dei sumus
et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum
apparuerit similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo sanctificat se sicut et ille sanctus est. Omnis qui facit peccatum et iniquitatem facit et peccatum non videt neque cognouit eum. Qui facit iustitiam iustus est sicut et ille iustus est. Qui facit peccatum ex diabolo est. Omnis qui natus est ex deo peccatum non facit quoniam semen ipsius in eo manet et non potest peccare quoniam ex deo natus est. In hoc manifesti sunt filij dei et filij diaboli. Omnis qui non est iustus non est ex deo et qui non diligit fratrem suum. Nolite mirari fratres si mundus vos odit. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam quoniam diligimus fratres. Qui non diligit manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum homicida est. Et habetis scientiam quia omnis homicida non habet vitam eternam manentem in se. Hinc cognouimus caritatem dei quoniam ille animam suam pro nobis posuit et nos debemus animas pro fratribus ponere. Filioli non diligamus verbo neque lingua sed opere et veritate.

Capitl. iiij Carissimi nolite omni spiritui credere sed probate spiritus si ex deo sint quoniam multi pseudoprophete exierunt in mundum. In hoc cognoscitis spiritum dei. Omnis spiritus qui